



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Governatore Deo
Distribvta**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§. 2. Longè meliorem esse pauperum, quàm diuitum condicionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

§. II.

*Longè meliorem esse pauperum, quàm diuitum
conditionem.*

Ad hanc epistolam fertur respondisse Saturnus, bonorum de nouo partiendi potestatem, ad se ampliùs non pertinere, sed regnum suum non nisi ad taxillos vsque, salutationes, cantiones & ebrietatem, & quidem per septem duntaxat dies, se extendere. Iouis esse negotium statuere de tollenda rerum inæqualitate, vtq; ex æquo omnes aut opibus abundant, aut egeant. Mentem mandatumque suum esse, vt diuites de cœnis, deque auri hemina, neque non de vestibus etiam pauperibus ad celebrandum festum nonnihil mittant. Ceterùm pauperes longè falli, neque rectè iudicare de diuitibus, cùm illos felices arbitrentur, solosque suauem vitam viuere, propterea quòd illis liceat opiparè cœnare, vino suauì inebriari, vestibus vti delicatis: verùm istam felicitatem cuiusmodi sit, ignorare; siquidem hæres eos curis non mediocriter distorqueant; cogi enim eos vt singulis inuigilent; ne quid rerum domesticarum dispensator fraudet, aut clanculum suffuretur, ne vinum acescat, ne frumentum vermibus corrumpatur, ne

Apud
Luc ep. 2.
Saturnali.

latro tollat pocula, ne populus credat calu-
mniatoribus, si talem dixerint affectare re-
gnum. Ad hæc, si nossent pauperes metus
& curas, quibus obnoxij sunt diuites, plane
fugiendas sibi esse diuitias existimatu-
ros. Quod nisi ira esset, Saturnum non vsque ad
eò insanum fore, vt, si præclara res esset,
opulentia, aut regnum, depositurus hæc
alijsque ea cessurus fuisset, patereturque, vt
nunc priuatus alieno pareret imperio. Igi-
tur potius se, cum non esset ignarus huius
modi malorum, quæ plurima diuitibus at
regibus necesse est adesse, imperium sapien-
ter deposuisse. Addit postea commoda di-
uitum, quæ pauper magna existimet, non
esse commoda. Verum quidem esse, diuites
apris, & placentis expleri, pauperes autem
nasturtium porrumuè, aut cepe per festi-
tempus, opsonij loco, arrodere; idque illis
dulce, his insuaue esse, sed id intra breue
tempus inuerti; cum pauperibus deinde
non accidat, vt postridie surgant capitis do-
lore grauati, ob temulentiam, quemadmo-
dum diuites, neque ob immodicam ingur-
gitationem graueolentem & acrem spiritus
ructare pauperes, neque facile sibi vel tabem
vel tussim, vel morbum intercutem, ex in-
tempe-

temperato voluptatum vsu colligere. Paucos autem videri diuites, qui non planè pal-
leant, ac faciem cadauerosam præ se fe-
rant; paucos, qui cùm ad senectutem per-
tulerint, suismet pedibus ingrediantur, ac
non potiùs à quatuor baiulis gestentur: fo-
ris quidem totos eos esse aureos, intus au-
tem putres ac pannosos, cuiusmodi sunt,
tragica indumenta, ex pannis admodum
vilibus confarcinata. Enimuerò ipsis quo-
que opulentis non dulce esse, quotidie su-
praque satietatem pretiosis vesci; sed gu-
stus variandi causa nonnumquam ita olus
ac lupinum appetere, vti pauper non æquè
appetat leporem, aut aprum. Esse præterea
illis mille cruces à filijs, ab vxore, à famulis,
& vnde non? quæ omnia pauperes cùm ig-
norent, tantùm aurum ac diuitum purpu-
ram aspiciant; & si quando vident eos albo
prouehi curru, inhient & adorent. Quòd
si illos contemnerent, negligerentque, ne-
que ad argenteum currum oculos haberent
intentos, neque inter colloquendum sma-
ragdum annulo inclusum respectarent, ne-
que vestes obiter contrectantes molliciem
admirarentur, sed sinerent eos ipsos sibi di-
uites esse, haud dubium futurum esse, vt